



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica**

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

**Lynch, Richard**

**Lvgdvni, 1654**

Tractatvs IV. De appetitu innato materiæ ad componendum essentialiter  
cum formis substantialibus corpus naturale.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)

qua procederet, ac per denominationem ab illa: tunc, enim, inquit, Deus eadem indiuisibili volitione existentiam materiæ & carentiam omnis formæ vellet, decerneretque: talis autem volitio, citra dubium, esset essentialiter atque intrinsecè supernaturalis, ac miraculosa.

33 Falluntur tamen, qui sic disputant: nam, inuariata actione & termino, non est, cur volitio Dei varietur, aut essentialiter diuersa euadat: sed materia prima, & actio, qua produceretur sine materia, essent eadem, quæ modo: quidni ergo & volitio Dei, ad materiam informem terminata, foret etiã eadem? quidni consequenter, sicut modo, essentialiter naturalis? Confirmatur & declaratur. Deus modo non vult, per eandem virtualiter volitionem, vt materia existat, & in ea forma siue actus substantialis: sed potius existentiam materiæ, vna volitione pro priori signo rationis se habente, & existentiam formæ, alia volitione, virtualiter diuersa, & pro posteriori se habente: eo namque ordine, quo sunt res, Deus illas vult: priusque priores, & posterius posteriores. Casu ergo, quo materia miraculosè existeret sine forma, pari ratione vellet Deus existentiam, & carentiam formæ, non per volitionem virtualiter eandem, & essentialiter supernaturalem, sed per duas virtualiter distinctas, quarum altera esset prior, aliãque posterior, & vtraque essentialiter naturalis.

34 Alij docent, conseruationem materiæ sine forma futuram miraculosam, & supernaturalem, quoad modum diuinæ volitionis, non quia actio conseruatiua materiæ volitionem essentialiter supernaturalem terminaret, sed quia eam terminaret carentia omnis formæ in illa: nec mirum, quia tum volitio, qua Deus vellet eam omni forma carere, præsupponeret essentialiter decretum diuinum de conseruanda nihilominus materia: quis autem non videat, esse essentialiter supernaturale in Deo, velle carentiam omnis formæ, supposita materia: & decreto de eius conseruatione? Itaque miraculum, in ea hypothesi, primario consisteret in non productione formæ; conseruatio autem materiæ, secundario, tantum, & ex circumstantia consequenti, foret miraculosa & supernaturalis.

35 Hæc etiam doctrina displicet, quia carentia omnis formæ, in hypothesi de qua disputamus, naturalis esset secundum se: cur ergo diuina volitio circa illam naturalis esse non posset? vt paulò antè in simili arguebamus. Et confirmatur: volitio Dei circa existentiam materiæ, iuxta hos authores, essentialiter non inferret volitionem Dei, circa carentiam omnis formæ, esto eum ea, quasi per accidens, esset coniuncta: non ergo est, cur volitio Dei, circa carentiam omnis formæ, præsupponeret essentialiter diuinam volitionem, circa existentiam materiæ, licet, quasi ex accidenti, ad eam sequeretur: ac proinde, non obstante tali consecutione, non esset intrinsecè & essentialiter supernaturalis, sed tantum quoad modum coexistentiæ ad volitionem oppositam, quam præsupponit; haud secus ac ipsa carentia omnis formæ, ad quam terminatur, esset supernaturalis quoad modum coexistentiæ ad materiam, & hæc similiter supernaturalis quoad modum coexistentiæ ad prædictam carentiam omnis formæ, vt explicatum est. Ac de his hæcenus.



## TRACTATVS IV.

*De appetitu innato materiæ ad componendum essentialiter, cum formis substantialibus, corpus naturale.*

## CAPVT PRIMVM.

*An detur in rebus appetitus innatus? & quid, ac quotuplex sit?*



1 ROBARE hîc ex professo libet, quod detur in rebus appetitus innatus, nullam sequens cognitionem & ab elicitio, ac vitali cognitionis lucem, ac directionem sequente, distinctus: tum quia, huius appetitus frequentissimè fit mentio in Philosophicis, & Theologicis disputationibus; magisque in iis supponitur, quam probatur: tumne, sicut Auicenna, inferius citandus, negat materiam appetere innatè formam substantialem, ita etiam audeat quis, vbiuis eum appetitum negare. Probatur autem primo, autoritate ethnicorum scriptorum. Atque in primis talem appetitum adstruit Aristoteles lib. I. phys. c. 9. text. 81. docet enim ibi, materiam appetere formam, sicut turpe pulchrum, & foemina virum appetunt: quis autem non videat, in materiam, sensus expertem haud alium cadere posse appetitum, quam innatum? Idem docet Philosophus primo ethic. c. 1. ibi: *Bonum est, quod omnia appetunt*: At appetitus, omnibus rebus conueniens, non potest esse elicitus, sed innatus.

2 Consentit Plato in Lyfide, vbi ab eo introducitur Hesiodus inquit, *Vnumquodque appetere non simile, sed contrarium, & aridum appetere humidum, frigidum verò calidum, amarum dulce, acutum obtusum, vacuum repletionem, plenum vacuitatem, ceteraque similiter. Contrarium enim contrario alimentum præbere: simile autem simili minime frui*. Hæc ille. In eadem sententia est, Simplicius, cum aliis in locis, tum in procemio physicorum, his verbis; *Elementa, & reliquas partes orbis vniuersi, & sibi inuicem cedere, & suum amare quaque ordinem, eo esse contenta, æqualitatemque seruare geometricam, planè perspicimus*.

3 Seneca etiam in libro de beata vita cap. 30. elegantissimè probat, declaratque, appetitum illum innatum sciendi, omnibus hominibus communem, in hæc verba; *Natura ad virumque genuit, & contemplationi rerum, & actioni. Nunc probemus, quod prius diximus. Quid porro, hoc non erit probatum, si se unusquisque consuluerit, quantam cupiditatem habeat ignota noscendi, quam ad omnes fabulas excietur? Nauis gant quidam, & labores peregrinationis longissima vi, mercede perpetiuntur, cognoscendi aliquid abditum, remotumque. Hæc res ad spectacula populos contra, hit, hæc cogit præclusa rimari, secretiora exquirere, antiquitates enoluere, mores barbararum audire gentium. Curiosum nobis natura ingenium dedit, & artis, sibi, ac pulchritudinis suæ, conscia, spectatores notantis rerum spectaculis genuit, perditura fructum sui, si tam magna, tam clara, tam subtiliter ducta, tam nitida*

rida & non vno genere formosa solitudini ostenderet. Vt scias illam spectari voluisse, non tantum aspici, vide quem nobis locum dederit. In media nos sui parte constituit, & conspectum omnium nobis dedit, &c.

4 Porro Tullius eundem in rebus appetitum innatum agnuit lib. 4. de fin. vbi sic differt. Est quedam appetitio naturalis, ea, qua secundum naturam sunt, appetens. Et paulo infra: nemo est qui aliter dixerit, quin omnium naturarum simile esset id ad quod omnia referuntur, quod est ultimum rerum appetendarum: omnis enim est natura diligens sui: Quae est enim quae se unquam deserat, aut partem aliquam sui, aut eius partis habitum aut vim, aut vllius earum rerum, quae secundum naturam sint, motum, aut statum? Quae autem natura sua prime institutionis oblita est? nulla profecto, quin suam retineat, à primo ad extremum. Et paulo etiam inferius. Quin potius ita dicis, omne animal applicatum esse, ad id, quod in eo sit omne optimum, & in eius vnus occupatum esse custodia, reliquasque naturas nil aliud agere nisi vt id conseruent, quod in quaque optimum est? Actandem, nonnullis intericulis: Atque ipsa institutio hominis, si loqueretur, hac diceret, primos suos quasi ceptus appetendi fuisse. Quid his clarius? Egregie etiam eundem appetitum innatum rebus quoque inanimis insitum describit Plaut. his versibus

*Dina Astartha, hominum Deorumque vis vita  
Salus: rursum eademque est  
Pernicies, mors, interitus: Mare, cælum sidera  
Iouis quacunq; templa colimus, eius ducuntur  
Nun, & obtemperant.*

At Astartha hæc cui obediunt omnia, cuiusque nutu ducuntur, mare, tellus, cælum, sidera, atque omnia etiam inanimata, idem est, atque Venus, seu Dea amorum, vt putat Tullius 3. de nat. deorum. Ideo autem Veneri amorumve Deæ tale imperium in res etiam inanimatas affingitur, quia in iis etiam amor regnat: non autem elicitus, vt patet: ergo innatus. Eundem etiam amorem innatum rerum, quo cunctæ se conseruant, belle depingit Claudianus de 4. consulatione Honorij: ibi

*Nonne vides, operum quæ se pulcherrimus ipse  
Mundus amare liget: nec vi connexa per æuum  
Conspirent elementa sibi? quæ limite Phæbus  
Contentus medio, contentus littore Pontus?  
Et qui perpetuo terras ambitque, vehitque,  
Nec premit incumbens oneri, nec cesserit aer?*

5 Secundo probatur appetitus innatus rerum, auctoritate Christianorum Philosophorum, & Theologorum: omnes enim in eo adituendo conspirant, ac præsertim Scotus in 2. dist. 3. quæst. 5. & B. Thom. 1. Physic. cap. 9. ad text. 81. & 4. de potentia art. 1. & 1. p. qu. 59. art. 2. quos non solum Thomistæ & Scotistæ ab iis dicti, sed aliarum etiam scolarum sequuntur asseclæ. Tertiò probatur idem appetitus auctoritate Sanctorum Patrum, atque ante omnes Augustini lib. 11. de ciuitat. Dei cap. 28. vbi sic disputat: Si arbores essemus, nihil quidem sentiente motu amare possemus: verum tamen id quasi appetere videremur, quo feracius essemus, vberiusque fructuosa. Si essemus lapides, aut fluitus, aut ventus, aut flamma, vel quid eiusmodi, sine vlllo quidem sensu atque vita, non tamen nobis deesset, quasi quidam nostrorum locorum, atque ordinis, appetitus: nam velut amores corporum momenta sunt ponderum, siue deorsum grauitate, siue sursum leuitate narrantur. Et supra cap. 27. eiusdem lib. 11. sic differt: omnia corporalia, latentes in natura causas habent: sed formas suas varias, quibus mundi huius visibilibus structura formosa est, sentiendas sensibus præbent, vt

vt pro eo quod nosse non possunt, quasi innotescere velle videantur.

6 Fauet Basilii in regulis fufius disputatis in responfion. ad 2. interrogat. vbi sic inquit: Simul atque confistit homo, infta naturalis etiam quedam rationis est via, qua in seipfa amandi necessitudinis initia continet. Et inferius; in ipfo ortus nostri initio vim quandam nanciscimur, per quam, nostra sponte, ad ipsum diligendum impellimur. Accedit Bernard. in lib. de diligendo Deum vbi sic loquitur: Clamat innata & nota rationi iustitia, quia ex toto se illum diligere debet, cui se totum debere non ignorat. Priorem autem horum locorum ex Basilio adductum explicat Suarez lib. 1. de grat. cap. 29. num. 14. de appetitu innato ad amandum elicite Deum: posteriorem etiam ex Bernardo desumptum eadem ratione exponit cap. 31. eiusdem libri, num. 6. ad finem. Fauent denique Clemens Alexandrin. lib. 4. Strom. ibi: Igitur conuenienter naturali appetitioni, vtendum est his, quæ sunt prohibita, cauendo, ne quouis modo nimium dilabamur. Dionys. cap. 4. de diuin. nomin. & Hierotheus in hymnis amatoris necnon passim alij Patres, quorum aliquos vltius citabimus cap. sequentibus.

7 Probatur quarto idem appetitus naturalis rerum, auctoritate sacræ scripturæ: Nam talem appetitum factis expressit Paul. ad Roman. 8. infra cap. 3. expendendus. Eundem etiam videtur expressisse Dauid Ps. 103. ibi: Cani leonum rugientes, vt rapiant, & querant à Deo escam sibi. Et paulo infra: Omnia à te expectant, vt des illis escam in tempore: dante te illis colligent, &c. At creaturæ, seu irrationales, seu insensibiles, haud possunt à Deo querere, expectare, aut petere escam, per appetitum elicitem, & verum: vt enim ita aliquod à Deo peterent ac desiderarent, sane Deum deberent cognoscere: quod autem ab illis non possit cognosci, est exploratissimum. Quintò tandem probatur ille appetitus; quia nulla in eo vel leuissima apparet repugnantia; & alia ex parte videtur, & ad conseruationem rerum omnino necessarius, & ad earum inter ordinem connexionemque explicandam valde conueniens. Hæc de appetitu innato quoad an est.

8 Quid autem sit, Caberus tract. 1. Phys. disp. 1. dub. 3. & alij complures explicant per hoc quod sit inclinatio naturalis, qua in bonum sibi conueniens res omnes feruntur. Verum idem per idem explicant: ecquid enim est inclinatio naturalis, quam appetitus naturalis? Aut quæ synonima erunt, si hic nulla synonimia interuenit? Quare aliter appetitus innatus definiendus est; per hoc nimirum, quod sit connexio illa naturalis, qua res cum bono sibi conuenienti connectitur, aut qua ad illud determinatur, mouetur, vel ordinatur: Hæc enim determinatio, siue connexio, vnus rei cum alia sibi congrua, à parte rei, ac seorsim à quouis actu elicito, reperitur: aliunde, quid sit rem vnā cum alia connecti, siue ad eam naturaliter determinari, moueri, aut ordinari, ex terminis notum est: vnde rectè appetitus innatus per hanc naturalem connexionem, determinationem, motionem, aut ordinationem explicatur, definiturque. Atque ita ferè B. Thom. 1. Physicor. lect. 15. Dicit etiam, & quidem breuissimè, potest materiam primam, aut aliud quidpiam, id innatè appetere, quod appetitu elicito appeteret, si eo poleret. Atque hoc posteriori modo explicant appetitum innatum Arist. 1. Rhetor. Egid. de Præsent. tom. de beat. q. 3. art. 2. num. 11. Fonf. 1. met. c. 1. q. 1. sect. 3. & Ripald. l. 1. de ent. supern. disp. 8. sect. 4.

Quotuplex verò sit appetitus innatus, non est difficile explicatu: Quemadmodum enim appetitus elicitus, alius est per modum desiderij, alius per modum gaudij,

gaudij, alius per modum amoris stricti, quidam absolutus, nonnullus conditionatus, aliquis tandem determinatus, & aliquis indeterminatus; ita etiam totidem modis distinguendus est appetitus innatus. Porro desiderium, siue elicitum, siue innatum, à gaudio differt, per hoc, quod illud prius terminetur ad rem vt existentem pro posteriori naturæ; siue quod perinde est, ad rem vt absentem, nondumque possessam; hoc verò posterius, nempe gaudium, ad rem vt existentem pro priori signo rationis; aut quod iuxta est, ad rem vt præsentem, ac iam possessam. Aliis terminis; desiderium est, vt res existat, gaudium verò, quia res existit, extititve. Amor autem strictus ad rem vt existentem non terminatur: & si de elicto sermo sit, haud regulatur per cognitionem, cuius prædicatum correspondeat his vocibus, existit, extitit, aut, existat. Reliqui autem appetendi modi, superius insinuat, per se patent, nec expositione indigent.

## CAPVT II.

*Materia prima appetit innatè formas substantiales: idque tum indeterminatè & conditionatè, tum etiam absolutè & determinatè.*

10 Quidquid toto hoc tractatu dixerimus, de appetitu innato materiæ ad formas substantiales habendas, totum id intelligendum est, de eius inclinatione, & appetitu naturali ad componendum essentialiter cum illis corpus naturale; cum illas, nisi talis compositionis gratia, habere non appetat. In primis ergo materiam eas innatè appetere tuerentur omnes Philosophi, vno excepto Auicenna primo sufficient. cap. 2. Contra quem arguo primò. Omnes res appetunt innatè perfectiones sibi debitas, & connaturales, vt cap præcedenti multiplici autoritate Philosophorum, tum Christianorum, tum ethnicorum, necnon Theologorum, & Sanctorum Patrum, atque Scripturæ sacræ, probauimus. At formæ substantiales sunt perfectiones connaturales, ac debite materiæ primæ: hæc ergo eas innatè appetit.

11 Secundò, & eodem ferè redit: Materia prima appetit innatè suam conseruationem & refugit interitum, ac destructionem suam, idque habet commune cum omnibus rebus: quod quanto iure à nobis semel, atque iterum in superioribus suppositum est, patet in primis, quia expresse traditur ab Aristotele li. I. Phys. c. 9. ad finem. Rursus etiam traditur non minus perspicue à Diuo Damasceno lib. 3. de fide c. 23. in hæc verba: *Omnia ipsius esse, & nequaquam non esse naturaliter habent desiderium.* Necnon, vt alios præmittam, ab Augustino lib. 11. de ciuitate Dei c. 27. ibi. *Quid arbuta, omnesque frutices, quibus nullus est sensus ad vitandam manifesta motione perniciem, Nonne vt in auras tutum culminis germen emittant, aliud terra radices affigunt, quo alimentum trahant, atque ita suum quodammodo esse conseruent? Ipsa postremò corpora, quibus non solum sensus, sed nec ulla saltem seminalis est vita, ita tamen vel exiliunt in superna, vel in ima descendunt, vel librantur in mediis, vt essentiam suam, ubi secundum naturam possunt esse, custodiant.* Tum sic: materia appetit innatè suam conseruationem, & vt non destruat: at ad eius conseruationem, ac non destructionem, sequitur necessariò existentia alicuius formæ substantialis: materia ergo alicuius existentiam appetit innatè, sin minus forma-

liter, saltem virtualiter, & implicite: appetitus enim antecedentis ad minimum fertur virtu liter in omnia ex eo necessariò consequentia: quo pacto, si Deus vellet, ac prædeterminaret materiale peccati, censetur etiam eius formale ex eo consequens virtute saltem velle, & causare.

12 Tertiò suadetur hæc sententia, quia inter corpus, & animam est amicitia quædam naturalis, siue innata: sed amicitia est mutui amor duorum: & anima ergo corpus, & corpus animam, & quæcumque aliam formam substantialem amat, appetitve innatè. Maior & est per se conspicua, & frequenter docetur ab Ecclesiæ Patribus; ac præsertim eam tradit Richardus Victorinus tract. de except. cap. 11. ibi: *Musica in connexu vtriusque est, illa naturalis amicitia, qua anima corpori, non corporeis vinculis alligata tenetur, & Augustinus de gratia noui testamenti ibi: Mortis diem omnes affuturum sciunt: eum tamen omnes, aut penè omnes differre conantur, etiam qui post mortem se beatius credunt esse victuros; tantam habet vim carnis, & animæ dulces consortium.*

13 Quartò suadetur eadem sententia; quia magis perficitur materia prima per formas substantiales, quam hæc per formas accidentales: quis enim non videat, plus esse ex genere suo perfici substantialiter, quam duntaxat accidentaliter? At formæ substantiales habent appetitum innatum ad formas accidentales, vt patet in anima rationali innatè appetente scientiam; quemadmodum docent Seneca capite præcedenti citatus, & Augustinus lib. 11. de ciuitate Dei cap. 27. ac Philosophus lib. 1. meraph. cap. 1. & 2. ibi. *Omnis homo naturaliter scire desiderat:* nec non in eadem anima naturaliter appetente actum elicitum dilectionis Dei vt cap. etiam superiori ex Basilio & Bernardo demonstrauimus: Quod autem opponit Auicenna, materiam non posse appetere formam quam habet, quia quod habetur non desideratur, nec formam, quam non habet, quia alioqui ea, quam habet, haud esset contenta; hoc inquam, ex sequentibus, nullius esse momenti, patebit.

14 Iam vero, quod materia formas substantiales, omnes quidem quarum naturaliter est capax, indeterminatè appetat, & sententia est Conimbricensium 1. Physicæ cap. 9. quæst. 4. artic. 2. & Roderici de Arriag. disput. 2. sect. 4. num. 42. ac Caberi cit. dub. 3. num. 6. & sic suadetur. Primò, quia materia prima est naturaliter connexa, cum hac vel illa forma substantiali: at connexio naturalis cuiusvis entitatis cum suo bono est appetitus innatus: materia prima ergo appetit hanc, vel illam formam substantialem, atque adeo indeterminatè eas appetit. Secundo: quia si materia appetitu elicto polleret, proculdubio hanc vel illam formam substantialem indeterminatè, & vagè, appetere; ergo &c.

15 Quod etiam materia appetat conditionatè formas substantiales, videlicet hanc, sub conditione quod reliquæ ei denegentur, & illam, sub eadem conditione, & sic de reliquis, simili ferè discursu suadetur. Etenim materia prima connectitur naturaliter: cum hac forma, sub conditione quod omnes aliæ ei denegentur: cuius signum est, quia si supposito decreto diuino materiæ primæ omnem formam substantialem, præter humanam, denegante, humanam etiam ei denegare Deus decerneret; Sanè hoc secundum decretum, ex suppositione primi, miraculosum esset. & contra exigentiam materiæ: ergo quia sub ea conditione materia prima formam humanam exigit, cum eaque naturaliter connectitur. Deinde si materia prima appetitu elicto prædita esset, haud dubiè formas substantiales conditionatè

conditionatè appetet; eo genere appetitus: modo ergo eas appetit conditionatè, si elicite, at innatè: & quidem appetere docet præter alios Pet. Hurtado disp. 2. Phys. lect. 3. §. 34.

16 Arbitror tamen non paucos hallucinari, in primis in eo, quod solum appetitum conditionatum materiæ respectu formæ tribuant: deinde etiam in eo, quod appetitum indeterminatum cum conditionato confundant. Ac prius horum esse falsum suadetur: etenim si materia prima solum appetit formam aliquam substantialem sub conditione quod ei reliquæ denegentur, sanè Deus prius natura denegabit materiæ reliquas omnes formas substantiales, quam ei conferat eam, quam de facto sortitura est. Sequela perspicua est: siquidem Deus in modo conferendi formam materiæ, appetitui materiæ sese accommodat, quare formam non conferet, nisi prius purificata conditione, sub qua eam materia appetit. Consequens, autem aperte falsum est; quia potius è conuerso prius natura materiæ forma quam habet confertur quam quas non habet ei denegantur, iuxta illud receptissimum Philosophorum axioma, *generatio vnius, est corruptio alterius*.

17 Quod autem (vt ad posterius deueniam) appetitus indeterminatus & conditionatus non sint idem, facile probari potest: quia hæc propositio indeterminata; vel existit creatio Angeli, vel existit angelus, absolute vera est, esto sit nugatoria: sed hæc propositio conditionata, si non existit creatio Angeli existit Angelus, & si non existit Angelus existit creatio Angeli, absolute falsa est: ergo propositio indeterminata non est propositio conditionata, qua vnum affirmetur, sub conditione, quod non detur aliud, & è conuerso: atque adeo volitio etiam indeterminata non est conditionata, qua vnum desideretur, sub conditione quod non detur aliud, & è diuerso.

18 Tandem, quod materia prima appetat absolute, ac determinatè aliquas formas substantiales contra P. Arriagam citato numer. 42. & alios plures neotericos probatur: Nam materia prima magis appetit quasdam formas, quam alias: at eas formas determinatè absoluteque appetit, quas magis appetit. Ergo, &c. Minor hæc probatur, quia cum appetitus rei ad vnum ad vnum, & non aliud terminatur, is appetitus determinatus est: quando ergo maior appetitus rei ad vnum, & non aliud, terminatur, vnumuè magis quam aliud appetitur, is appetitus erit determinatus. Maior argumenti nostri suadetur. Primo, quia inter formas ad quas materia disposita non est, & quibus non vnitur, eas magis appetit, quæ sunt perfectiores: ergo &c. Antecedens est in aperto, quia quæ sunt perfectiores, sunt eius maius bonum: quidni ergo eas magis appetat? Deinde, si appetitu elicitò polleret, eas elicite magis amaret: quod quidem, iuxta superius dicta, est eas absolute, & de facto, magis innatè appetere, atque amare.

19 Eadem argumenti nostri maior iterum secundò suadetur: quia materia ad aliquas formas earum quibus non vnitur magis disposita est, quam ad alias: at magis appetit eas, ad quas magis disposita est, licet de se perfectiores non sint, sed potius minus perfectæ, quàm aliæ, ad quas non adeò disponitur. Ergo. Id ostenditur, nam magis appetit formas illas, ad quas magis determinata est, esto alioqui minus perfectas: cum appetitus naturalis in naturali determinatione & connexionem consistat: sed ad for-

R. P. Richardi Lyncei, Philosophia Tom. II.

mas ad quas magis disposita est, licet imperfectiores magis determinata est: si quidem dispositiones materiam ad formam quodammodo determinant, & maiores consequenter eam magis determinant. Postremo suadetur eadem maior: etenim materia magis appetit formam, cui actu vnita est, quarum vnione non gaudet, etsi præfata forma perfectior non sit, ad eamque materia magis disposita non sit, aut naturaliter, aut, si mauis, per miraculum. Quod sic ostendo: quo maior est connexio naturalis materiæ cum aliqua forma, eo magis eam innatè appetit: at magis connectitur cum forma, cui intrinsecè vnitur, quam cum aliis, quibus non vnitur, esto perfectioribus, aut numero & intensiōe dispositionum prævalentibus: siquidem vnio est summa connexio, quæ inter res distinctas esse potest.

Sed obiicies eatenus materia formas substantiales innatè appetit, quatenus per eas completur: at æqualiter per eas completur, quantumuis inter se in perfectione sint inæquales? æqualiter igitur ac indeterminatè solum eas appetit, non verò etiam inæqualiter & determinatè, sicuti nos asseruimus. Minor declaratur: quia sicut terminus non magis producit per vnā actionem, quàm per aliam, si per vtramuis simpliciter producit, esto in vna & alia sit magis & minus, perfectius & imperfectius, vel ex modo tendendi diuerso, vel ex diuersitate agentium; ita similiter in præsentī, &c.

Respondeo, materiam magis compleri per eas formas substantiales, quæ magis perfectæ in se sunt, haud secus, ac, omnium confessione, formæ accidentales, quod magis perfectæ sunt, eò magis subiectum perficiunt: equis enim neget, animam rationalem magis perfici per visionem Dei, quam per visionem formicæ? quare non est, cur materia prima determinatè & intensius non appetat formas substantiales perfectiores, siquidem per eas naturaliter magis completur. In actione alia est ratio: omnis enim actio cum termino suo summè connexa & ad eum summè determinata est, propterea quod ab illo nec de potentia absoluta possit auelli: quando ergo in tantum producit actio suum terminum, in quantum cum eo connexa est, ad eumque determinat, certè omnis actio summè terminum producet, & ita vt per aliam magis produci nequeat.

Obiicies rursus, materiam primam perpetuam vim passuram esse, semperque violentatum iri, si formas perfectiores determinatè ac præ reliquis appeteret, cum certo certius sit, eam illis nunquam potiri, si sermo sit de omnibus; omnes enim haud sunt productæ. Respondeo, materiam primam non pati violentiam, quamuis formis perfectioribus, cuiusmodi est anima rationalis de facto existens, aliæque perfectiores animæ rationales Deo possibiles, semper careat; eo nimirum quod ita eas determinatè appetat, vt magis appetat formam, cui vnitur, & ad quam magis disposita est, licet imperfectiorem; hac autem non careat: Cum verò præcipuus & potissimus materiæ appetitus satiatur, materia absolute satiata & non violentata, aut coacta censetur. Sic voluntas Dei absolute infrustrabilis est, eò quod voluntas eius efficax & quasi intensa, semper quod vult consequatur, tametsi quod remisse & inefficaciter vult, aliter quam vult, nonnunquam eueniat.

Obiicies denique, materiam primam nec desiderare determinatè formam, quam habet, vt potè de qua potius gaudet, nec formam, quam non habet, siquidem ea, quam habet, contenta est, deque ea gaudet.

gaudet: nullam igitur formam determinatè appetit, seu desiderat. Respondeo in primis, materiam appetitu saltem gaudij, & amoris stricti, esto non desiderij, formas determinatè appetere; nec contrarium argumento factò euinci. Sed de hoc infra. Dici etiam potest, materiam desiderare etiam determinatè, & formam substantialem quam habet, quantumvis de ea gaudeat, vt cap. sequenti demonstrabitur; & formas quoque substantiales, quas non habet, esto, ea, quam habet, contenta sit eamque conseruari appetat; nimirum, quia eam, quam habet, intense & efficaciter appetit, eam verò, quam non habet, remisè & ineffaciter: aut eam quam habet, absolutè, & quam non habet, conditionatè, & in defectum prioris: in quo nulla est repugnantia, vt exemplo appetitus eliciti cuius perspicuum erit.

## CAPVT III.

*Materia prima appetit formas substantiales appetitu innato desiderij, gaudij, & amoris stricti.*

24 Quid materia desideret innatè formas substantiales, opinio est Conimbricentium & Caberi, vbi supra; & facile probatur: nam formam substantialem possidens eius conseruationem, pro sequentibus instantibus, appetit, & formas etiam quas non habet, & ad quas magis disposita est, appetit, si forma, quam habet, spoliatur: quæ enim in hoc utroque modo appetendi repugnantia est? At appetitus materiæ tendens, aut in conseruationem formæ, pro instantibus futuris, aut in possessionem formarum, quas non habet, habere tamen disposita est, reuera est appetitus desiderij, vt potè, qui ad rem absentem, & & exituram terminatur.

25 Materiam autem gaudere innatè de possessione formarum substantialem tuerentur Conimbricenses citata qu. 4. art. 1. ad finem alique plures. Suadet autem ex dictis: nam cum materia conseruationem & possessionem formæ innatè desideret, non est cur in ea conseruata & possessa innatè non quiescat, & gaudeat; præsertim, quia aliàs semper & in quouis momento inquieta esset: siquidem in quouis momento formam aut conseruari, aut denuò possideri, desiderat: ergo si in nullo momento gaudet, de eius possessione, & conseruatione, certè eius desiderium omnis gaudij semper expers erit, ac proinde anxium, inquietum, atque folicitum.

26 Probari etiam haud ægrè potest, materiam strictè amare formas substantiales, vt insinuat P. Hurtad. disp. 2. Phys. sect. 3. §. 33. & 36. siquidem materia per se ipsam essentialiter appetit formas substantiales, cum suapte natura sit substantialiter incompleta, & indiga alicuius formæ, per quam substantialiter compleatur: at per se essentialiter non est gaudium, aut desiderium innatum formarum substantialem: ergo amor strictus. Quod materia prima per se ipsam præcisè & essentialiter haud sit gaudium, aut desiderium innatum formæ vllius substantialis, expressè tuerentur Caberus citato dnb. 3. numero 6. ad finem & Onia, quæst. 3. art. 2. ac suadet, quia ad de desiderium formæ possidendæ, aut conseruandæ, requiritur, quod saltem pro instanti anteceden-

ti possessa & conseruata non sit, sed quodammodo absens & futura; & ad gaudium de ea, oportet, vt forma, pro instanti quo gaudium terminat, conseruetur, aut possideatur, & quodammodo sit præsens. At materia prima secundum se essentialiter & præcisè sumpta, nec formam esse præsentem, aut absentem, possessam, aut non possessam, conseruatam, aut non conseruatam, supponit; sed ab his omnibus præscindit. Materia ergo secundum se, vt dictum est, & essentialiter, præcisè sumpta, nec est desiderium innatum, neque gaudium, de forma vlla substantiali. Confirmatur nostra sententia, quoad triplicem eius partem. Nam si materia prima appetitu elicito prædita esset, tribus modis superius positis formas substantiales appeteret. Modo ergo, & de facto tribus illis modis eas innatè appetit: siquidem appetitus innatus in appetitu elicito conditionato consistit, aut certè per eum regulatur.

Enimverò formas substantiales non desiderari innatè a materia prima existimat Arriaga, citata disputat. 2. sect. 4. subf. 1. conclus. 1. Pro qua sententia obiici solet. Materia appetit solum indeterminatè formas substantiales, nimirum hanc, vel illam, vel illam, & sic de reliquis: eas ergo desiderare innatè non poterit. Antecedens iis probari consuevit argumentis, quæ appetitum determinatum materiæ oppugnant. Consequentia est perspicua, quia ad desiderium requiritur carentia formæ: sed forma indeterminatè sumpta, seu hac, vel illa carere nequit materia: formam ergo substantialem desiderare indeterminatè non potest, ac proinde nullo modo.

Respondeo in primis negato antecedenti; cuius falsitas ex superioribus perspicue constat. Deinde consequentia nulla est: esto enim materia solum indeterminatè formam appetat, adhuc eam in primo suæ productionis momento desiderare poterit. Cuius rei gratia nota ad desiderium non requiri carentiam rei desideratæ in instanti reali, pro quo desideratur, sed ad summum in instanti immediatè antecedenti. Nam reuelet Deus, se Petro gratiam collaturum, in primo instanti, quo eam desiderauerit, (quæ enim in hoc contradictio est) tunc certè Petrus gratiam desiderare poterit: at carentia gratiæ, in instanti quo desideratur, non existeret, sed in instanti immediatè antecedenti; aliàs Deus pacto & reuelationi suæ non staret. Quandoquidem ergo materia, in instanti immediatè antecedenti primam eius productionem, forma substantiali etiam indeterminatè sumpta caret, & nec hanc, nec illam, nec aliquam sortitur, sanè, in primo instanti suæ productionis, formam desiderare poterit. Præterea, argumentum minimè probat materiam in primo instanti non desiderare innatè conseruationem formæ pro secundo instanti, & in secundo, pro tertio, & sic de reliquis sine fine; conseruationem inquam formæ, vel alterius collationem: quia in primo instanti datur carentia formæ etiam indeterminatè sumptæ pro secundo, & in secundo, pro tertio, &c. eo quod conseruatio primæ formæ, vel alterius collatio pro sequentibus instantibus, ipsa instantia complectatur, quorum tamen carentia in prioribus instantibus existit.

Obiicies iterum: non solum contra desiderium, sed etiam contra gaudium innatum materiæ respectu formarum. Appetitus omnis innatus materiæ, ei essentialis est, & ab eius essentia & natura omnino

omnino indistinctus; hac enim de causa innatus, siue naturalis, appellatur: at desiderium formæ substantialis, & gaudium de eius possessione materiæ essentialia, & prorsus indistincta esse non possunt. Appetitus ergo innatus, materiæ respectu formarum, esse nequit per modum gaudij, aut desiderij. Maior videtur perspicua. Minor probatur, quia desiderium formæ eius absentiam, & gaudium eius possessionem postulant: materia autem, secundum se essentialiter sumpta, nec absentiam, nec possessionem formæ, postulat; sed ab utraque abstrahit, & sine alterutra esse potest. Haud ergo, essentialiter, & secundum se præcisè sempta, est gaudium, aut desiderium formæ substantialis: id quod vel à nobis est supra concessum.

30 Sed in primis si quid argumentum valet, id probat, non esse in nobis desiderium innatum beatitudinis etiam naturalis. Sequela probatur, quia desiderium innatum beatitudinis nequit esse nobis omnino essentialia, & adæquatè identificatum, cum iuxta aduersarios nequeat non importare carentiam beatitudinis naturalis à nobis distinctam, & separabilem: alia verò ex parte deberet esse nobis omnino essentialia, & à natura nostra prorsus indistinctum: siquidem haberet rationem appetitus, non eliciti, sed innati. Consequens autem est falsum, & contra illud Augustini lib. 1. confel. c. 1. *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec perueniamus ad te.* Quæ verba Suarez lib. 1. de gratia capite 29. numero 10. explicat de appetitu innato beatitudinis naturalis: at non de alio possunt intelligi, quàm de desiderio: quippe cuius solius est proprium, cum inquietudine, & anxietate coherere.

31 Pari ratione argumentum illud probaret creaturas inanimatas haud desiderare innatè incorruptionem, & perpetuitatem quandam; contra illud Pauli ad Romanos 8. *Expectatio creatura reuelationem filiorum Dei expectat. Vanitati enim creatura subiecta est, non volens, sed propter eum, qui subiecit eam in spe; quia & ipsa creatura liberabitur a seruitute corruptionis, in libertatem glorie filiorum Dei: scimus enim, quod omnis creatura ingemiscit, & parturit usque adhuc.* Quæ verba de appetitu innato creaturarum etiam insensibilium, ad incorruptionem quandam, & perpetuam durationem exponit Chrysostomus ad Romanos 8. sermone 14. talis autem appetitus in eis nequit esse gaudij, aut amoris stricti: utpote de quibus verificari nequeunt verba illa Pauli, *ingemiscit, & parturit*: debet ergo esse desiderij innati. Quid multa? eodem argumento probaretur in creaturis inanimatis non esse appetitum gaudij, de vlla perfectione sibi connaturali: contra illud Psalmi 103. *Rigans montes de superioribus suis: de fructu operum suorum satiabitur terra. Et infra: Saturabuntur ligna campi, & cedri libani, quas plantauit.*

32 Absolutè respondeo, appetitum rei, ad bonum sibi conueniens, non semper esse ei omnino essentialia, ab eiusque natura prorsus indistinctum, nec ob id innatum appellari, sed quia in physica rei natura, vel adæquatè, vel saltem inadæquatè consistit. Itaque interdum per naturam rei desiderantis, & absentiam boni desiderati, saltem pro instanti antecedenti, constituitur, ut cum per modum desiderij tendit; & interdum naturæ rei desiderantis addit, in conceptu suo quidditatiuo, præsentiam boni desiderati, ut cum pergit per modum gaudij: quare licet materia secundum se essentialiter sumpta gaudium, aut desiderium formæ non sit, adhuc pereius

R. P. Richardi Lyncei, Philosophia, Tom. II.

præsentiam modò, & modò per eius absentiam in ratione gaudij, aut desiderij innati poterit apprimè constitui. Nec verò contra hanc doctrinam iure argui potest ex appetitu elicitò, per rei absentiam, aut præsentiam, minimè constituto: aliàs, sicut posterior hic appetitus à facultate appetente realiter adæquatè distinguitur; ita pariter appetitus, materiæ innatus, congenitusve, ab ea distingueretur realiter adæquatè: contra expressam doctrinam B. Thomæ 1. p. q. 59. art. 2. & Scoti in 2. dist. 3. qu. 5. necnon contra quam ipsimet aduersarij sentiunt, qui ne distinctionem realem inadæquatam inter materiam primam & appetitum suum innatum ad formas admittunt.

Obiicies denique contra amorem strictum innatum materiæ respectu formarum substantialium. Si daretur in materia talis amor, maximè quia desiderij & gaudij circa formas nequeunt esse omnino essentialia materiæ, & cum ea adæquatè identificata; cum tamen aliquis appetitus innatus eam cum materia habere debeat identitatem: quo fit, ut is appetitus ita cum ea identificatus haud possit esse alius, quam amor strictus. At hæc ratio est nulla. Quod enim desiderium innatum formarum possit esse materiæ omnino essentialia, & in ea adæquatè consistere suadet: nam si Deus ab æterno mundum cōderet ac moliretur, eius volitio efficax, ad illum terminata, rationē haberet desiderij: nec enim esset amor strictus, seu simplex complacentia, nec merum gaudium, ut compertissimum est. Similiter ergo materia, existens ab æterno cum forma, posset nihilominus eam desiderare: at id desiderij non constitueretur per carentiam formæ, in instanti etiam antecedenti: esset ergo omnino essentialia materiæ, & ab ea ne inadæquatè distinctum: ac proinde modo etiam tale est: posse enim esse omnino essentialia, & de facto esse omnino essentialia, idem sunt, & reciprocantur inuicè.

Respondeo, desiderium innatum formarum, haud posse esse omnino essentialia materiæ, nec in ea adæquatè collocari, sed semper inuoluere ulterius carentiam, aut priuationem aliquam: unde effluxit Philosophicum axioma; *Priuatō est causa appetitus.* Ad rationem autem in contrarium adductam dicendum est, et si desiderium innatum formæ in materia de facto semper sortiatur carentiam formæ veram, & quasi posituam, pro instanti saltem antecedenti, per quam possit constitui: quo sensu in superioribus locuti sumus: at aliam dari carentiam formæ impropriad, & præcisiam, quæ quidem distinguitur à materia, & præfatum eius desiderium non minus quam prior carentia potest constituere.

Itaque per vnā carentiam harum, aut per alteram, aut per vtramque potest constitui desiderium innatum materiæ: hæc enim aut verè caret forma pro instanti præsentī, vel saltem antecedenti, aut eam possidet: si prius; sanè per carentiam formæ in instanti, vel præsentī, vel antecedenti, constituitur formam desiderans innatè: si posterius; ergo pro priori ad possessionem formæ intelligitur possessura formam, siuè ad eam possidendam proximè disposita, & ordinata à Deo: hæc autem dispositio distinguitur realiter à materia, estque ab ea separabilis: alia verò ex parte est carentia quædam præcisua formæ; cum pro priori, quo intelligitur ea ordinatio, & proxima expeditio materiæ ad formam, non intelligatur forma ipsa existens, sed extitura: iam ergo per talem carentiam formæ latam & præcisiam constituetur ex parte desiderium innatum, quo materia formam appetit.

Quibus suppositis, si materia existeret ab æterno substantialiter formata, nihilominus formam innatè desideraret: at tale desiderium non esset ei omnino essentialia

sentiale sed constitueretur ex parte per carentiam formæ præcisiuam, superius explicatam. Atque, ut semel finiam, materia ab æterno, ut secundum se præcisè sumpta, & quatenus respiciens tum transcendentaliter formam, esset eius amor strictus; propterea verò eam ab æterno possidens, foret eius gaudium, ac tandem, ut per aliquid à se distinctum, non tam eam possidens pro priori signo, quam possessura, siue ad possidendam proximè ordinata, eius esset desiderium innatum; hoc ergo non esset in euentu illo omnino essenziale materiæ, nec eius amorem strictum erga formas tolleretur.

## CAPVT IV.

*An materia appetat innatè formas substantiales corruptas?*

37 **A**Ssero primò. Materia prima aliquo genere appetitus innati appetit formas substantiales corruptas. Ita Petrus Hurtad. disput. 2. Phys. sect. 3. & Tellez disput. 2. sect. 3. numero 6. & alij. Quorum omnis argumentis sic pro assertionem posita arguo primo: Potest Deus de potentia absoluta producere omnes formas substantiales, & eas postea corrumpere: fac ergo hoc quod est possibile reduci ad actum: possibili enim posito in actu, nullum sequitur inconueniens: ut fert commune axioma: tunc certè materia appetet innatè formas corruptas: ergo & modo eas ita appetit. Fore, ut materia tum appetet innatè formas à Deo corruptas patet, quia ea tunc non posset naturaliter esse sine forma aliqua: aliquam ergo tum appetet, & exigeret innatè: quo pacto aqua frigiditatem, ignis calorem, & omne aliud, id sine quo nequit naturaliter esse, eo ipso innatè appetit: & quidem materiam tum existere absque omni forma esset miraculosum; ergo esset contra exigentiam innatam materiæ, ac totius naturæ: proinde talis exigentia materiæ ad formam aliquam substantialem haud posset tunc non dari: atqui ea exigentia non esset ad aliam formam, aliâque quam corruptas, cum supponantur omnes corruptæ, eo in euentu: esset ergo ad formas corruptas, & consequenter hæc possunt innatè exigi, & appeti.

38 Dices primò, materiam primam, in euentu illo miraculoso, habituram appetitum innatum aliquarum formarum: cumque non essent aliæ, quam corruptæ, has appeteret innatè: at modo sunt possibles aliæ infinitæ præter corruptas; non est ergo cur corruptas modo innatè appetat. Verum in primis conceditur nobis, formas corruptas, in aliqua saltem hypothesi, posse innatè appeti. Deinde, quod modo sint aliæ formæ possibles, præter corruptas, non arguit, has non appeti innatè, ut appeterentur in illo euentu, sed quòd minus fortè appetantur, quam non corruptæ: non aliter ac possibles esse præter formas inanimatas, alias vitales, magisque perfectas, non est argumentum illas priores minus perfectas nullo modo terminare appetitum innatum materiæ, sed quod minus appetantur, quem perfectiores, ac vitales.

39 Dices secundò fore, ut materia in euentu posito appeteret innatè formas substantiales corruptas, quia hæc tum essent naturaliter possibles: nec mirum: essent enim materiæ naturaliter debitæ, ac necessariæ: necessitas autem possibilitatem, & naturalis necessitas possibilitatem naturalem inuoluit: at modò non sunt naturaliter possibles; cur ergo modò innatè appetantur. Hæc etiam euasio nulla est, tum quia id ha-

bet commune cum præcedenti, ut intentum ex parte concedat: tum etiam, quia falsò supponit, formas corruptas futuras esse naturaliter possibles, ac materiæ debitas, necessariasque, si corrumperentur omnes: omnis enim possibilitas, & necessitas supponens essentialiter aliquid supernaturale, & miraculosum, eo ipso est supernaturalis & miraculosa: at quod possint, in euentu nostræ disputationis, formæ corruptæ reproduci in materia, quod item essent ei debitæ, ac necessariæ, haud quidem eueniret nisi ex suppositione miraculosa, & supernaturali, productionis, & destructionis omnium formarum possibilium: ergo &c.

Dices tertio, esse possibles aliquas formas substantiales successiuas, & essentialiter alligatas ad certum temporis spatium, quod ultra citraque nequeant consistere: quare omnes non possint simul à Deo produci, aut post productionem destrui corrumpive: quæ ergo nondum essent productæ, & consequenter nec corruptæ, has appeteret materia innatè, non verò corruptas. Verum in primis alligatio illa ad tempus, faciens, ut nec ante illud, nec post illud, res possit etiam diuinitus existere, fortasse impossibilis est in formis substantialibus, quæ est harum ex genere suo perfectio. Rursus, eandem etiam alligationem in formis accidentalibus, extra prædicamentum quando, plurimi negabunt. Tandem, esto admittatur in formis etiam substantialis ordinis, nihil inde fiet, quod nostræ possit obesse sententiæ: siquidem formæ illæ substantiales ad certum adstrictæ tempus, haud essent possibles naturaliter, sed supernaturaliter: imò earum supernaturalitas esset citra dubium intrinseca & quoad substantiam, & non extrinseca, aut quoad modum: ergo, si in euentu nostri argumenti, tales formas substantiales successiuas appeteret, materia innatè, non obstante earum summa supernaturalitate; sanè à fortiori appeteret etiam innatè formas substantiales permanentes & à tempore absolutas, quantumvis corruptas, & ratione corruptionis naturaliter impossibiles, impossibilitate quadam extrinseca & minori, magisue quoad modum, quam quoad substantiam.

Dices quartò, si omnes formæ substantiales permanentes & à tempore absolutæ corrumperentur à Deo, futurum quidem, ut materia formas aliquas corruptas innatè appeteret: haud enim essent aliæ, quas posset appetere: Cæterum hypothesim esse impossibilem: ut enim prædictæ omnes formæ simul à Deo corrumperantur, necesse est ut prius existant, & à Deo producantur; idque simul & collectiue; nihil enim corrumpi aut destrui potest, nisi quod prius existit: iuxta illud Platonis in Philebo; *Eius autem, quod non est, nec fuit, iacturam fieri aliquam, absurdum.* At impossibile est, omnes formas substantiales, etiam permanentes, & à tempore absolutas, simul à Deo produci: sunt enim cathegorematicè infinitæ: infinitum autem cathegorematicum actu repugnat: Ergo & impossibile est, omnes formas prædictas simul à Deo corrumpi. Sed ne hæc satis faciunt. Siquidem à principio probabilius est, non repugnare infinitum cathegorematicum in actu: de quo inferius in loco. Deinde esto repugnet: quidni ab impossibili arguere possimus. In hunc modum: si per impossibile omnes formæ essent corruptæ, sanè omnes appeterentur innatè à materia: cur enim vnæ potius quam aliæ? Modò ergo aliquæ formæ corruptæ appetuntur innatè à materia: cum aliquæ, etsi non omnes, de facto sint corruptæ, & continuò corrumpanitur.

Argumentor secundò, pro assertionem nostram, ad initium huius capituli statuta. Si qua ratione materia prima non

non appeteret innatè formas corruptas, maxime quia sunt naturaliter impossibiles: at hæc ratio est nulla, ergo &c. Id probatur, quia appetitus innatus ferri potest ad aliquid naturaliter impossibile: quod sic ostendo. Omnis res appetit innatè suam conseruationem, vt ex Aristotele, Damasceno, & Augustino, superius citatis, necnon ex communi omnium Doctorum consensu, patet; vtque etiam inde manifestum est, quia cuius rei violentum est destrui, seu non conseruari: violentum autem est, quod sit contra exigentiam innatam eius, cui violentia inferitur: nulla ergo res est, contra cuius exigentiam non sit destrui. Atqui conseruatio plurium rerum, est naturaliter impossibilis: appetitus ergo innatus ferri potest, ad aliquid naturaliter impossibile. Conseruationem plurium rerum esse naturaliter impossibilem, perspicuum est: nam res suapte natra immortales destrui est naturaliter impossibile: quare miraculum esset, si anima rationalis v. g. aut Angelus, destruerentur: ergo, à paritate rationis, res corruptibiles, & mortales, contrariumque agentium incursum subiectas, conseruari tamen, erit naturaliter impossibile. Atque, vt exemplo res elucescat, si præcipitur homo ab altissima turri, certè cum eum viuere erit naturaliter impossibile: aut ergo tum non exigit cadens suam conseruationem, nec consequenter mors & destructio erit ei violenta: aut sanè exigentiam habebit, & appetitum innatum alicuius boni sibi naturaliter impossibilis. Quòd vltèrius ostenditur, quia homo cæcus innatè abhorret à cæcitate: hæc enim est eius malum: at innatè abhorre à cæcitate, est innatè propendere in visum cæcitati contrarium: homo ergo cæcus innatè visum appetit, in eumque propendet: & tamen visus est ei naturaliter impossibilis: potest ergo dari propensio innata in aliquid naturaliter impossibile, adeoque in formas corruptas.

43 Argumentor tertid. Si Deus annihilaret animam alicuius rationalem, eamque materiæ primæ disposita infunderet, sanè materia in ea innatè quiesceret, deque ea gauderet: at gaudium nequit esse, nisi de eo, quod prius desideratur determinatè, vel indeterminatè, absolute, vel conditionatè: materia ergo prima ad animam rationalem destructam haberet nihilominus appetitum innatum, non tantum gaudij, sed etiam desiderij. Maior probatur, quia humanitas Christi innatè quiescit in substantia verbi, deque ea naturaliter gaudet: ita, non solum qui desiderium innatum rerum quoad substantiam supernaturalem in natura possibilem esse admittunt, verum etiam ij, qui possibilitatem talis desiderij negant: ac præsertim Vasquez 3. part. disputat. 34. cap. 4. numer. 17. ad finem, & Suarez disputat. 8. sect. 3. atque apud eum Caieranus, & Thomista. Et quidem, nisi admittatur gaudium innatum de substantia Verbi, in humanitate Christi, nescio quomodo hæc non patitur violentiam: etenim inquietum aliquid, & violentum manere, perinde est: humanitas ergo Christi, non quiescens in substantia verbi, vt potè supernaturali, nec in propria, quippe quam non habet, omnino inquieta manebit, adeoque perpetuam patietur violentiam, quod & maiestatem Christi dedecet, & est contra omnes Theologos. Quando quidem ergo humanitas Christi gaudet innatè, de substantia Verbi quoad substantiam supernaturalem, quidni & materia prima gaudere posset innatè, de anima rationali, & perfectissima, post corruptionem sibi vnita, inque ea quiescere?

44 Argumentor denique quartò: aliquid, seu naturaliter impossibile, & contra exigentiam naturæ, seu

*R. P. Richardi Lyncei, Philosophia Tom. II.*

supernaturale, & supra exigentiam naturæ, potest esse bonum alicuius subiecti, & in eo præsupponere capacitatem sui: hæc autem capacitas, quidni dicatur appetitus innatus? Quod certè non sit, capacitas naturalis, sed obediencialis, ad tale bonum, impedire potest ne dicatur appetitus innatus omnino naturalis, seu non solum subiectiue naturalis, sed etiam obiectiue, & ex parte termini: at non, ne dicatur appetitus innatus obediencialis: & quidem hos postremos terminos inuicem non repugnare, sed potius optimè inter se coherere docent Grana. 1. 2. controuers. 1. disputat. 5. numero 4. & P. Herize 1. part. disputat. 37. cap. 2. numero 22. Quæ cum ita sint, poterit eiusmodi appetitus innatus obediencialis esse, in materia prima, ad formas corruptas, quantumuis naturaliter impossibiles. Hactenus prima assertio.

Assero secundò. Materia prima non appetit for- 45 mas corruptas appetitu innato omnino naturali, sed, vt prædictum est, appetitu innato, dumtaxat obedienciali. Probatur, quia appetitus innatus omnino naturalis haud potest ferri, nisi ad bonum naturaliter possibile: at formæ corruptæ non sunt naturaliter possibiles, sed potius ex natura rei impossibiles: siquidem id oportet esse naturaliter impossibile, quod existere nihil in rerum natura postulat, nisi ad summum conditionatè, & in defectum alterius; non existere verò plura postulant: quæ reipsa, productio caloris, in aqua suapte natura frigida, abque vlllo agente naturali calido ei approximato, est naturaliter impossibilis, eo quod talem calefactionem nullum agens naturale absolute postulet, eius verò carentiam aqua & frigus ei cognatum postulent: in præsentia tamen agentis calidi, ea calefactio naturaliter impossibilis non est; quia, licet aqua ei repugnet, agens tamen calidum eam postulat: atqui formas corruptas, postquam corruptæ sunt, iterum reproduci, & in materiam denuò introduci, nihil ab ipsis formis distinctum absolute exigit, & oppositum plura in rerum natura postulant. Ea igitur reproductio formarum corruptarum, & earum in materiam introductio, naturaliter impossibilis est?

Vtraque pars minoris probatur. Prior quidem 46 quia si quid à formis corruptis distinctum earum reproductiōem & reunionem absolute postularer, maxime materia prima, quæ sola per eam perfici potest: at materia prima id absolute non postulat, sed ad summum conditionatè, & in defectum formarum non corruptarum: quia melius ei non est formas corruptas reproduci, & sibi denuò vniri, quam nouis formis perfici, immò hoc posterius ei longè melius est; quo sic virtutem suam passiuam magis ostendet, & vniuerso, novarum semper formarum varietate, magis proficua sit. Posterior verò minoris pars probatur, nempe plura in rerum natura reproductiōi formarum corruptarum resistere. Siquidem in primis causæ efficientes formarum substantialium, non reproductiōem corruptarum, sed potius aliarum novarum productiōem exigunt: & ad ostentationem suæ virtutis actiue; & ad varietatem vniuersi, cum eius pulchritudine coniunctam. Deinde formæ ipsæ possibiles lucem amant, & in existentiam emergere innatè appetunt: quum enim hic appetitus sit metaphoricus, & secundum quid, rebus non existentibus congruere potest: at formæ possibiles, simul, & semel in lucem produci, & materiæ vniri nequeunt; nec est potior ratio, cur vnæ potius, quam aliæ producantur, & existant: igitur formæ possibiles exigunt produci, & existere, cum quadam successione, & ordine, ita

ut formæ, quæ semel producta est, & esse desit, ex  
iis, quæ antea non productæ sunt; alia succedat, ea ni-  
mirum, quam Deus maluerit, & huic iterum alia im-  
producta, & sic de reliquis. Demum, tota rerum vni-  
uersitas ab ea reproductione formatum corruptarum  
abhorret, eiusque carentiam postulat, nimirum quia  
contra varietatem, ac proinde contra decorem, & pul-  
chritudinem vniuersi esse videtur.

- 47 Aliter etiam, & quidem liquidissima ratione, pro-  
bari potest formas corruptas esse naturaliter im-  
possibiles; namque naturaliter fieri non potest,  
ut res vlla transeat, de loco in locum extremum,  
sine transitu per spatium loci intermedium. Simi-  
liter ergo impossibile naturaliter est, aliquid tran-  
sire, transferri, de tempore ad tempus, quin prius  
transeat per spatium temporis intermedium. Atqui  
formas corruptas, postquam extiterunt, iterum repro-  
duci est eas transire, seu transferri de vno tempore ad  
aliud extremum, & distans, non transeundo per tem-  
pus intermedium, quod earum corruptioni, & non  
existentiæ respondet. Ita ergo formas corruptas repro-  
duci, est naturaliter impossibile.

## CAPVT V.

*Soluntur argumenta aliqua contra doctrinam  
capitis præcedentis.*

- 48 <sup>ad id aduenit</sup> Petrus Arriaga disp. ut. 2. Physicorum sect. 4. sub-  
sect. 1. conclus. 3. num. 44. & cum eo multi recen-  
tiores, refragantur priori assertioni nostræ, superius  
positæ, sentiuntque materiam primam nullatenus ap-  
petere innatè formas substantiales, semel corruptas.  
Cuius sententiæ potissimum fundamentum esse solet.  
Nequit appetitus vllus innatus, dari ad aliquid natu-  
raliter impossibile: at formæ corruptæ, per nos, sunt  
naturaliter impossibiles. Ergo &c. Maior probatur,  
primò, quia appetitus innatus est ad id solum, quod  
appeteretur elicite à subiecto, si in eo locum habe-  
ret appetitus elicitus: at, si materia prima esset co-  
gnoscitiua, & appetitiua elicite, sanè eius, quod co-  
gnosceret esse naturaliter impossibile, nullum haberet  
appetitum elicitem: ergo nec modò id potest innatè  
appetere.

- 49 Probatur secundò eadem maior argumenti: quia  
nequit dari appetitus innatus, in substantia aliqua  
naturali, ad quidpiam supernaturale quoad substan-  
tiam, ut v.g. ad gratiam habitualementem, ad visionem Dei,  
ad dotes gloriæ: haud ergo potest esse talis appetitus  
ad aliquid impossibile naturaliter, tamen quoad sub-  
stantiam naturale sit. Antecedens est communiter  
Thomistarum, & plurium aliorum extra eam, scolam,  
quos latè & eruditè refert P. Ripalda disp. 9. de ent.  
supernat. disp. 9. sect. 2. numer. 11. Et probari potest,  
tum quia aliqui donum supernaturale quoad sub-  
stantiam, esset simul, & non esset debitum naturæ: in-  
debitum ei, quia esset supernaturale, debitum verò,  
quia à natura exigitur innatè: tum etiam, quia, aliàs  
quiuis beatus esset in perpetua inquietudine, & vio-  
lencia, cum multis careat gradibus visionis beatificæ  
ac supernaturalis, quos tamen innatè appetit, cum ea-  
rum sit per suam naturam capax.

- 50 Respondeo, negata maiori. Ad primam eius pro-  
bationem dicendum est, posse quem desiderio elicito,  
inefficaci saltem, ferri ad aliquid ut naturaliter impos-  
sibile cognitum, & sub alterius etiam superioris pos-  
sibilitatis ratione prorsus ignoratum; ut experientia  
testatissimum est: quidni ergo materia innatè saltem  
inefficaciter appetat formas corruptas, quantumvis

naturaliter impossibiles? Deinde P. Vasquez, vbi su-  
pra, & multi alij, dicunt humanitatem Christi desi-  
derare innatè etiam efficaciter propriam subsisten-  
tiam; quæ tamen ei est naturaliter impossibilis, cum  
non possit saltem naturæ viribus à subsistentia verbi  
separari. Ergo &c. Tandem, quod cognoscitur ut na-  
turaliter impossibile, si tamen cognoscatur ut super-  
naturaliter & alienis viribus possibile, poterit appeti-  
tu elicito etiam efficaci appeti, ac desiderari: sic Ma-  
ria & Martha resurrectionem Lazari, etsi naturaliter  
impossibilem, efficaciter tamen desiderarunt, & à  
Christo petierunt; innitentes nimirum virtuti super-  
naturali quam in eo ad patranda miracula agnosce-  
bant, ac certissima fide credebant. Similiter ergo suf-  
ficient aliquid esse miraculosè possibile, ut innatè possit  
appeti, desiderarique etiam efficaciter.

Ad alteram probationem maioris negatæ dicen-  
dum est, aliquid supernaturale etiam quoad substan-  
tiam appeti innatè à natura, non quidem appetitu in-  
nato omninò naturali, sed tantum obedientiali. Ita  
Granad. & Herize supra citati, & reipsa Scotistæ om-  
nes, alijque multi, apud Ripaldam relata disp. 9. sect. 1.  
num. 1. Quod autem contra obiicitur, donum sub-  
stantialiter supernaturale futurum non tantum inde-  
bitum, sed etiam debitum naturæ, si ab ea appeteretur  
innatè, haud est alicuius momenti: siquidem aqua v. g.  
in præsentia ignis exigit efficaciter frigiditatem, ea-  
que propter calefacta, & frigiditate sua spoliata, pati-  
tur violentiam: & tamen in illa circumstantia non est  
ei debita frigiditas, qua spoliatur, sed absolute inde-  
bita; ideòque ea spoliatur, quia ei non debetur: non  
omnis ergo exigentia efficax innata fundat debitum:  
& sic donum supernaturale quoad substantiam, quan-  
tumvis terminans exigentiam efficacem innatamque  
naturæ, poterit tamen esse ei omninò indebitum, &  
non simul debitum.

Præterea iuxta aduersarios, ad hoc, ut aliquod bo-  
num exigatur innatè, non satis est, quod subiectum  
sit eius capax, nisi sit bonum naturalis ordinis, & viri-  
busque naturæ possibile: quidni ergo eodem iure no-  
bis liceat asserere, quod ad hoc, ut debeatur aliquod  
bonum donumve subiecto, haud satis sit, illud ab eo  
exigi innatè, nisi vltèrius sit naturale quid, ac natu-  
raliter possibile. Quod etiam secundo loco obiicitur  
in contrarium, non vrget: nam appetitus innatus sub-  
stantiæ intellectualis creatæ, si de principali & effica-  
ci sermo sit, haud est nisi ad substantiam visionis bea-  
tificæ, præscindendo ab eius maiori, vel minori inten-  
sione: unde non est mirum, quod præfata substantia  
nullam patiatur violentiam, tamen maiori aliqua in-  
tensione visionis beatificæ omninò careat, ac destitua-  
tur. Sed de his satis Philosopho.

Contra posteriorem ergo assertionem capitis præ-  
cedentis, cui refragantur Hurtadus, Tellez, & alij,  
obiicies primo: Materia prima, quod semel appetit  
appetitu innato omninò naturali, id semper ita appe-  
tit: formas autem corruptas, antea quam corruptæ  
sint, appetit appetitu innato omninò naturali: ergo  
&c, postea quam corruptæ sint, ita eas appetit. Maior  
probat, quia appetitus innatus omnino naturalis,  
in materia repertus, ei est adequatè intrinsecus, &  
essentialis: quod ergo materia semel, id semper  
eo genere appetitus appetit: sicut, quia distinctio  
est rei omnino essentialis, à quo res semel distin-  
guitur, ab eo semper distinguitur. Confirmatur,  
& declaratur: ideo appetitus elicitus efficaciter  
& serio terminari nequit, ad rem naturaliter im-  
possibilem, cognitam ut talem; quia cognitio im-  
possibilitatis voluntatem à rei impossibilis voto in-  
hibet.

hibet, atque retardat: materia prima naturalem impossibilitatem formarum corruptarum non cognoscit: eas ergo sicut ante corruptionem, ita etiam & post corruptionem, appetitu innato omnino naturali appetet.

54 Obiicies secundò, contra eandem assertionem nostram: Formæ corruptæ sunt naturaliter possibiles: ergo sub appetitum omnino naturalem materiæ cadere possunt, & debent. Antecedens probatur; in primis, quia carentiæ semel corruptæ, naturaliter possunt, solentque redire: quid enim est ignem, aquam, aliasque id genus substantias destrui, & ad non esse reuocari, quam earum carentias, quæ prius veluti fuere, iterum redire: præfatæ autem substantiæ naturaliter possunt, & solent destrui: ergo earum carentiæ naturaliter, ut dictum est, poterunt redire, quantumvis semel quasi corruptæ: quidni ergo formæ eis oppositæ, ut corruptæ, nihilominus naturaliter sint possibiles, & apte redire, ad esse, quod prius habuerunt? Suadetur etiam idem antecedens, ex celebri illa præmia, idem, semper idem, natum est facere, semper idem. At causa efficiens formæ corruptæ, v.g. igneæ, (par autem est ratio cuiuscunque alterius) est omnino eadem, ante & post eius corruptionem: entitas etiam illius formæ corruptæ, est eadem, quæ ante corruptionem: nec enim forma vlla corrupta, in chimæram desinit, sed ad pristinam regreditur possibilitatem, cum destruitur: cur ergo causa efficiens prædictæ formæ corruptæ, eam in eodem numero, & specie passo nequeat reproducere?

55 Ad primum horum respondeo, appetitum innatum omnino naturalem materiæ, ab ea ex parte distinguui, & per naturalem possibilitatem formarum semper constitui, ut bene Arriaga citata disp. 2. sect. 4. subsect. 2. num 54. sic eum appetitum, modo per absentiam, modo per præsentiam formarum, compleri superius edocimus: quare materia, formas, quas semel appetit appetitu innato omnino naturali, postea tamen poterit ita non appetere; quia nimirum, quæ semel naturaliter possibiles fuerunt, possunt postea in impossibilitatem migrare. Deinde, esto (quod falsum est) appetitus innatus omnino naturalis, qui reperitur in materia, sit ei omnino essentialis, adhuc materia poterit in formas corruptas appetitu illo innato ferri. Quid enim vetat, materiam omnino essentialiter ac per seipsam appetere innatè prorsus naturaliter, pro instanti A. formas substantiales, quæ usque ad illud corruptæ non sint, & pro instanti B. eas, quæ usque ad illud corruptæ similiter non sint, & sic de reliquis? nam quod materia omnino essentialiter & adæquatè per seipsam formas appetat innatè prorsus naturaliter, hoc quidem, disputandi gratia, admissum, arguit appetitum illum ei semper conuenire, sed non pro semper, ut ita loquamur, aut pro instantibus, in quibus formæ intelliguntur iam corruptæ: qua ratione, Deus semper odio habet peccatorem, sed non pro semper, nec pro instantibus, quibus iustus est, cum pro iis eum amore prosequatur.

56 Confirmatio autem obiectionis non vrget: siquidem appetitus efficax elicitus fertur in bonum conueniens, & naturaliter possibile, media eius cognitione: quare mirum non est, quod cognitio impossibilitatis ab eius efficaci amore voluntatem auertat, alias interdum non auertendam; præsertim si supernaturaliter, ac de potentia absoluta, non appareat possibile: at appetitus efficax innatus, & omnino naturalis, materiæ primæ in bonum conueniens, & naturaliter possibile, quæ talis, fertur immediatè, & non media vlla cognitione: unde seorsim à quavis cognitione, eiusve defectu, poterit in materia cessare, cessante naturali

possibilitate formarum corruptarum; nimirum, quia eo ipso cessat conditio obiectiua, sub qua tendit, quatenus est talis materiæ appetitus.

Ad secundum respondeo, negato antecedenti: Prior autem eius probatio facile dilui potest, dicendo, cum corrumpitur forma ignis v.g. haud redire, eius ut existentis secundum se, siue existentia illius secundum se, carentiam: quippe, quæ nunquam fuit: quæ ergo carentia incipit post corruptionem talis formæ: Sanè non nisi durationum, per quas posset illa forma postea existere, & durare, simpliciter tamen & propriè non existit: carentia autem priuatiua durationum sequentium, non redit, sed incipit pro tempore, quod iis durationibus, si existerent, responderet, modò verò non iis respondet, sed corruptioni formæ substantialis, cuius sunt durationes. Sed de hoc latius alibi. Si cui tamen hæc doctrina displicuerit, dicat carentiam formæ ignis secundum se, & similibus formarum, post corruptionem redire quidem naturaliter, ut in argumento probe ostenditur; non tamen easdem numero, sed specie: nec absurdum esse, quod eiusdem formæ positiuæ dentur carentiæ solo numero diuersæ.

Posterior etiam probatio antecedentis negati, non est magis momentosa: nam ante & post corruptionem formæ, status rerum omnino idem non est, quoad modum, quantumvis quoad substantiam idem sit: hæc autem diuersitas, quoad modum, sufficit, ut causæ efficientes & materiales formæ corruptæ ad eam iterum concurrere nequeant, ut ex nostris argumentis perspicue constat. Aut dic, idem, semper idem, esse natum, aptumve, facere semper idem, quoad speciem, non verò quoad numerum: hoc autem aduersariis quid potest prodesse?



## TRACTATUS V.

*De imperfectione Materiæ componentis essentialiter corpus naturale.*

### CAPVT PRIMVM.

*An materia prima, de facto existens, sit imperfectior omni alia materia, & substantia possibili?*



1 SUPPONO ad hanc questionem, & sequentes, materiam primam, quæ de facto existit, non habere summam perfectionem, nec, quod perinde est, esse Deum. Quamvis enim id existimarit quidam Dauid de Dinando, apud B. Thom. 1. p. q. 3. art. 8. & Albertum tract. 3. Physic. 13. & lib. 6. Ethic. tract. 2. cap. 14. at hoc errore nihil esse stultius iure affirmat S. Doctor ubi supra. Suppono item, materiam, ne in eximio aliquo perfectionis gradu esse, sed potius esse imperfectiorem, Angelo, anima rationali, aliisque multis formis substantialibus, præsertim perfectorum viuientium: quod etiam manifestum est, & ab omnibus Philosophis ac Theologis receptum.

2 His constitutis, materiam, quæ de facto existit, esse in primis inter omnes materias possibiles, (si forte plures sunt possibiles) necnon etiam inter omnes substantias,